

Franckesche Stiftungen zu Halle

Actus Oratorius Instituetur, Quidam Lectionum Publicarum Auditores Orationes Recitabunt Et Discipuli Quidam Inter Se Colloquentur

Mauritius, Christoph

Carlsruhe, [1752?]

VD18 13453157

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-65335-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-65335-p0011-9)



132 C: 2^a

Q. D. B. V.
ACTUS ORATORIUS
INSTITUETUR,
QUIDAM LECTIONUM PUBLICA-
RUM AUDITORES
ORATIONES RECITABUNT
ET
DISCIPULI QUIDAM
INTER SE COLLOQUENTUR

QUIBUS AUDIENDIS
VT D. XXIV. MART. CIOCCCLII. H. POM.
IN AUDITORIO PUBLICO
GYMNASII ILLUSTRIS
LITTERARUM FAUTORES
ATQUE PATRONI
BENEVOLE ADSINT,
OFFICIOSE INUITAT

ET
DE PRAEROGATIVIS ELOQUENTIAE
PRAE PHILOSOPHIA
QUAEDAM DISSERIT
CHRISTOPH. MAURITII,
PHIL. ET ELOQU. PROF.

CARLSRUHE, TYPIS HABRED. MASCHENBAUER.

T. H. Mission. Wölkensdorf

[The page contains faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side.]



Mirum omnino videri posset et a recta ratione prorsus alienum, quod philosophiam, istam scientiam, quae in coelum iam pridem gloria atque praedicatione extollitur, quae in amore ac deliciis habetur, gestatur in sinu, tantum non ut regina in capitibus circumfertur, eam infra dignitatem eius artis abiicere audeamus, quae quidquid tandem rerum possidet, id omne ipsi acceptum referre debeat. Quid enim est, inquires, sine philosophia eloquentia aliud, quam vana quaedam loquentia? quid verba aliud, quam voces mente cassae, nisi philosophiae foecunda copia impleantur? oratoriae quaevis enunciationes quid aliud sunt, quam vagae ac fluxae sententiae, nisi per philosophiae leges suis limitibus quasi contineantur ac determinentur?

Sed tota statim, ut opinor, conticescet disputatio, quum utriusque artis vel scientiae naturam ac indolem attento animo contemplabimur, et quid cuique proprium sit, considerabimus.

Non ita nos iniurii sumus in philosophiam, illam rationis magistram atque effectricem, ut, quid illi in omni eruditione debeat, ignorare gestiamus. Siue enim eam intueamur, quam patet, latissime: omnium rerum, quae ad
) (2 intel-

intellectum nostrum pertinere videntur, rationes suppeditat; siue strictius eam a reliquis scientiis ac doctrinis disiungamus, est scientia, quae non solum de DEO et mundo naturalem cognitionem sistit, verum etiam virtutis ac officiorum praecepta dat, quae menti sanitatem adferunt atque confirmant.

Oratoria de quavis re, in qua persuasio locum habet, bene, ornate et copiose differit, nec solum mentem requirit de veritatibus sollicitam, verum etiam corpus ad delectandos pariter ac mouendos auditorum animos compositum.

Vtramque vero disciplinam deformant sui spurii, quos a genuinis earundem cultoribus in hoc negotio discernere maxime interest. Dantur inter philosophos homines, nihil minus, quam hoc nomen merentes, qui scientiam hanc praeclaram ore quidem ac vultu identidem prae se ferunt, caeterum opinionum tantum pleni aliorumque auctoritate abduci ediscunt vocabula ac sententias philosophorum, in abstrusiora principia sine mente se immergunt, ultra vulgus sapere se iactant, satis habere arbitantes, dummodo a vulgari sermone recedant, et in otio operumque omnium remissione sola nouorum hominum scita speculentur. Eloquentiam vero dehonestant homines vani atque insolentes, qui in circumforanea quadam et e triuiis petita cognitione, in linguae volubilitate, in voce stentorea clamandique robore, in verborum flosculis ac pigmentis, in certis quibusdam et ab aliis vel praescriptis vel furto abreptis formulis, in ingenii calliditate atque versutia omnem dicendi consistere facultatem putant. Hosce igitur vtriusque generis homines missos iam in hac disputatione facimus, veram tantum philosophiam, veram eloquentiam intelligentes, huiusque prae illa praerogativas nonnullis in rebus ostensuri.

Pri-

Primum vero, in quo eloquentia philosophiae praestare videtur, verba sunt rebus suis apta, concinna, copiosa, graua, acuta et a vulgari usu remotiora, de quibus philosophia cogitare fere nunquam debet. Jam vero quum inter omnes constet, non ferendum esse oratorem a philosophia minus instructum, quod in arte sua non minus profunda rerum naturalium cognitione et demonstratione opus habet: quis est, qui non videat, si philosophus sola cognitionis soliditate contentus esse potest, oratorem adhuc amplius superstruere debere verborum vim atque elegantiam cum foecunda quadam et ad rem pertinente copia coniunctam. Quod si e. c. philosophus tribus tantum verbis moderamen inculpatae tutelae adserit, en quantum verborum quodque suo robore firmatum apud Ciceronem, * oratorum illum principem reperis! quae cuncta magnam ingenii vbertatem et in rebus dicendis prouidam curam postulant.

Alterum, quod eloquentiae praerogatiuam adfert, est, quod longe pluribus sese doctrinis intendat, amplioremque adeo campum habeat, in quo excurrat, quam philosophia. Haec enim vel iis tantum rebus occupatur, quae demonstrationem recipiunt, vel in systemate suo eas modo doctrinas tractat, quas naturalis cognitio suppeditat. Vtrumque genus comprehendit eloquentia, sed plus ultra progreditur.

Ingerit

* In orat. pro Mil. c. IV. Est haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis.

Ingerit se historicorum factis, ea quo ordine, quibus temporibus, quo impulsu, quo fine, quibus remediis, qua fortunae vicissitudine gesta sint, suavi sermone recenset, praeceptisque salutaribus inde collectis in usum confert. Penetrat in theologorum adyta, et quidquid diuinum Numen hominibus reuelatum voluit, graui oratione refert, animos castigat, docet, premit, solatur. Taceo reliquas artium multorumque negotiorum inter homines varietates, quas philosophia, nisi extra suas quasi ripas diffuere conetur, attingere nunquam debet, eloquentiae vero semper patent.


Tertium, quod oratorem supra philosophi dignitatem extollere videtur, ab effectu, quem habet, multo ampliore desumitur. Quando enim plurimi homines vel propter intellectus hebetudinem acutas philosophorum demonstrationes non possunt rimari, vel voluntatis vitio nolunt parere purae ac rectae rationis imperio, plusque sensuum frenis duci se ac trahi pariuntur: capeffit ea orator, utitur dictis allegoricis sensus demulcentibus, affert auctoritates virorum dignitate praestantium, instituit comparationes ad imaginem factas, inducit exempla fidem facientia, et argumentis vndique collectis ita capit auditorum animos, ut iugum quasi ceruicibus iniiciat, et in sententiam suam doctos pariter ac indoctos vel inuitos trahat. Quae quidem omnia a sicco illo, quod apud philosophos obtinet, dicendi genere frustra expectaueris. Hac arte Menenius Agrippa rebellem populum in urbem reduxit, Alexander M. militaris seditionis incendia restinxit, summi in republica viri magnas res gesserunt, vel, quae ipsis incommoda erant, impediuerunt.

Sed, inquires, id ipsum, quod arte quadam in partes suas alios perducere potest orator, debet philosophiae, quae
fini

finu suo salutaria eiusmodi praecepta fouet? Largior id quidem, si quis eloquentiam cum philosophia vno vocabulo complecti voluerit. Quid enim hac ratione oratoriae relinqueretur proprium, quod sibi non vindicare posset philosophia? Quando vero vtraque disciplina diuersa esse debet, vti et communi sensu distingui omnino solet, manet vtrique hoc discrimen, vt, quod philosophus cogitat, orator eloquatur, quum ille in perscrutandis rerum causis ac rationibus haeret, hic omnia insuper ea, in quibus persuasio locum habet, pertractet, et, quum ille sibi tantum speculatur, vel eos tantum capit, qui erectioris ad scientias ingenii sunt, hic praeterea rudes quoque ac stupidos erudiat, oblectet, moueat.

Haec itaque eo valeant, non vt philosophia sobria ac sana humi abiiciatur, aut infra omnium aliarum disciplinarum dignitatem reponatur, sed vt tirones tantum sedulo moneantur, ne tempus in vniuersum omne huic soli studio tribuant, quippe quod nonnisi otiosos gignit aliorum laborum spectatores sibi ipsi sapientes, sed vt manum operi admoveant, somnum, vt ita dicam, eruditum oculis excutiant, et quos ex philosophiae recessibus fontes hauriunt, in eloquentiae campum latissimum effundant, vt ipsa illa philosophiae arcana in lucem protrahantur et ab aliis quoque cognoscantur.

Habemus igitur etiam nunc iuuenes, quos vel eo nomine ad dicendum prodire iubemus, vt huic praeclaro operi adfueri et posteram aetatem hac in arte impigre exerceant. Atque vt puerilis aetas iam a teneris hac exercitatione imbuetur, immiscantur discipuli aetatis adhuc tenerae de rebus suis moribus accommodatis publice colloquuturi. E re visum est, aetatem humanam pertractari; ordo vero, quo ad dicendum assurgunt, hic est:



- I. GOTTL. FRIDER. ROLLER, Knilinga Durlacensis,
pronidentiam diuinam praedicabit circa hominum natinitatem,
latine.
- II. CHRISTOPH. GOTTL. ECCARDT, Carlsruhenfis,
infantiam describet, germanice.
- III. ISAAC GMEHLIN, Badauillensis, *iunentutis vel bona*
vel mala depinget, oratione graeca.
- IV. CAR. HENRIC. BELLING, Carlsruhenfis, *de variis*
iunentutem tractandi modis differet, latine.
- V. FRIDER. WILHELM NOTHARDT, Gondelshe-
menfis, *de ingeniis praecocibus* ager, latine.
CAR. FRID. LUD. DACHTLER, Carlsruhenfis,
Classis IVtae discipulus, et
JO. DAN. HEMBERGER, Carlsruhenfis, Classis
IIIciae alumnus, *de lusibus puerorum* inter se dispu-
tabunt; quibus accedet
JO. CHRISTOPH. DEIMLING, Euringa Pfor-
zensis, Classi IVtae adscriptus, disputationem
omnem diremturus.
- VI. CAR. FRIDER. LUDWIG, Loerraco Roetelanus, *de*
virili aetate ad negotia gerenda aptissima ager, versibus lat.
- VII. CAR. JOSEPH. BOUGINE, Pforzensis, *de senectute*
eiusque vel commodis vel incommodis differet, latine.
- VIII. CAR. AUG. AXT, Langendenzlinga Hachburgicus,
num liceat vitam longaenam exoptare, disquiret, oratione lat.
- IX. CHRISTIAN. REINH. GRUN, Verstadia Hachbur-
gicus, *pronidentiam DEI circa mortem hominum* demon-
strabit, oratione verpacula.

Quos vt beneuole audiant, quotquot litteris fauent, omni,
quo par est, officio inuitantur. P. P. d. xxiii. Mart. c1919ccclii.



132 C: 2^a

m 18

